



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Creatio. Natura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS II. FÆMINA.

§. I.

Creatio, natura.

Tulit Dominus DEUS hominem &c. Gen. 2. 15. S. Ambros. l. de paradiso: quò loci illud adverte, quia extra paradysum vir factus est, & mulier intra paradysum. Extra paradysum factus, hoc est, in inferiore loco, vir melior invenitur; & illa, quæ in meliori loco, hoc est, in paradiso facta est, inferior reperitur. Mulier enim prior decepta est; & virum ipsa decepit.

Non est bonum hominem esse solum. Gen. 2. 18. Bonum est, secundum Dionysium, sui diffusivum: solus autem si esset vir, non posset se diffundere. Ergo, si esset solus, non esset sufficienter bonus. S. Thomas hic.

Tulit unam de costis ejus. Gen. 2. 21. Quòd fuit perfecta de nobiliori materia, quàm ipse vir, hoc fortè fuit factum, nè ipse vir eam contemneret; nec propter hoc tamen præsumeret: quia quidquid habuit, & locum, dignitatem, & materiam, mediante virò habuit. Id. in c. 2. Ut sciret Adam, quòd animal formandum æqualis cum ipso dignitatis esset futurum: idcirco, quemadmodum de ipso dicebat *faciamus*; sic & nunc dicit: *faciamus illi adiutorium simile sibi*. S. Chrysost. hom. 14. in Gen. Mutuata est à viris fæmineo generi gratia. Eva enim ex viro nata est, & non ex matre concepta; sed ex solo viro tanquam pattu edita. S. Cyrillus Jerol. Catech. 12.

Edificavit Dominus Deus costam &c. Gen. 2. 22. Decuit mulierem ex viro formari; ut vir magis diligeret mulierem, & ei inseparabilis inhaereret, dum cognosceret eam ex se esse productam. S. Thomas 1. p. q. 92. a. 2. Et art. 3. conveniens fuit mulierem formari de costa viri: ad significandum, quòd inter virum, & mulierem, debet esse socialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum; & idèò non est formata de capite: neque debet à viro despici, tanquam serviliter subiecta; & idèò non est formata de pedibus.

Rachel plorans &c. Matth. 2. 18. Cur Rachel, & non Jacob, vel Abraham, plorat? quia fæmineus sexus ad compassionem, & lacrymas, valde propensus. Sylveira hic. q. 13.

Eccce, quem amas, infirmatur. Jo. 11. 3. absque compassione, & lacrymis esse, bestiarum est: multum autem lacrymari, plorare, & contristari, mulierum. Theophylactus hic.

Contentiosum est hoc animal mulier, avidumque victoriæ. Et, sive ad malum declinet, magna mala patrat; sive ad virtutem se applicet, anima citius eam destituet, quàm propositum mutet. S. Chrysost. tom. 6. hom. de Anna.

Non temerè mulieri data est mollitudo: ut ad humanitatem sit faciliior, & ad misericordiam

propensior. S. Gregorius Nyss. orat. in illa verba: faciamus hominem.

§. II.

Laudes fæminarum, & privilegia.

Ter in anno apperebis omne masculinum coram Domino DEO tuo. Ex. 23. 17. Hæc lex solum viros comprehendebat. Cur non etiam fæminas? Oleaster: I. Tanquam pius, & misericors, hoc fieri voluisti; nè scilicet sexus infirmior longò itinere gravaretur. II. Aut quia non ignoramus, devotum sexum hoc sinè præceptò facturum. III. Fæmineum genus decet non hinc inde discurrere, etiam pietatis, aut religionis, prætextu. Notat Philo l. de profug. virtutes omnes habent appellationes fæmineas, fides, spes, charitas, fortitudo, justitia, temperantia, prudentia.

Pelli mea consumptis carnibus adhæsit os meum. Job. 19. 20. In osse fortitudo, in carnibus verò infirmitates corporis designantur. Quia igitur Christus, & Ecclesia, una persona est; quid per os, nisi ipse Dominus designatur? Quid per carnem, nisi Discipuli, qui passionis ipsius tempore infirma sapuerunt. Per pellem verò, quæ exterior carne manet in corpore, quid nisi illæ sanctæ fæminæ figurantur, quæ ad præparanda subsidia corporis exterioribus Domino ministeriis serviebant. Cum ad crucis horam ventum, ejus Discipulos gravis ex persecutione Judæorum timor invalit. Fugerunt singuli, mulieres aliterunt. Quasi ergo consumptâ carne os Domini pelli suæ adhæsit: quia fortitudo ejus, passionis tempore fugientibus Discipulis, juxta se mulieres invenit. S. Gregorius Moral. l. 14. c. 23.

Ubi non est mulier, ingemiscit egenus. Eccli. 36. 27. Per quod innuitur; mulieris esse, quòd sit pia ad indigentiam miserorum. B. Humbertus ad mulieres Burgenfes.

Avete: Matth. 28. 9. Oportebat primum muliebrem sexum, & ab Angelo bonum resurrectionis accipere nuntium, & Dominum videre; & primam ab eo vocem audire, *avete*: quoniam mulier quoque prima audiverat fraudem serpentis. Quapropter etiam adorare Servator, & pedes apprehendere, & contrectare, permittebat; ut iis, quæ primæ desciverant, & alienatæ erant ab eo. S. Gregorius Nyss. or. 2. de resurr.

Dominus multas prærogativas contulit mulieri; non solum super alia animantia, sed super ipsum hominem (virum) Et hoc tempore naturæ, gratiæ, & gloriæ. Tempore naturæ, producendo: formavit enim virum in hoc Mundo vili; sed mulierem in paradiso. Item virum formavit de limo terræ; sed mulierem de costa viri.

Nq